

Universitätsbibliothek Wuppertal

Artivm scriptores minores

Keil, Heinrich

Lipsiae, 1923

Excerpta ex Commentariis in Donatum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1978)

EXCERPTA

EX COMMENTARIIS IN DONATVM

Commentarius in Donatum nomine Iuliani Toletani inscriptus legitur in codice Vaticano bibliothecae Palatinae 1746, ex quo liber editus est Romae a. 1797 fol., *Sancti Iuliani episcopi Toletani ars grammatica poetica et rhetorica e membranis antiquis bibliothecae Vaticano-Palatinae nunc primum in lucem edita. auctarium voluminis II. patrum Toletanorum. opera auctoritate et expensis eminentissimi domini Francisci cardinalis de Lorenzana archiepiscopi Toletani Hispaniarum primatis et generalis inquisitoris. apud Antonium Fulgonium praesidem facultate.* codicem, qui olim fuit monasterii S. Nazarii Laureshamensis et in vetere indice codicum Laureshamensium ab A. Maio spicileg. Rom. vol. V p. 161 sqq. edito indicatus est l. c. p. 190, descripsit Arevalus in Isid. vol. II p. 370 sqq. mihi eam partem codicis, in qua Iuliani liber scriptus est, accuratius indicavit Detlefsenus. scriptus autem est codex in membranis formae maximae saeculo, ut Detlefseno visum est, undecimo, ut Arevalus dixit, nono vel decimo. continet varios libros latinorum grammaticorum inferioris aetatis, quorum index in initio codicis saeculo quarto decimo vel quinto decimo scriptus est ita, *codex sci nazarii in laurissa. primo artes sancti augustini. Regula augustini de nomine et partibus orationis. Ars donati quam paulus diaconus exponit. Sancti ysidori episcopi de grammatica et partibus eius. Dynamius grammaticus ad discipulum suum. Grammatica iuliani episcopi toletani. Grammatica et ars latini. Alia ars siue grammatica Iuliani Toletani. Ars asperi de octo partibus orationis. Ars domini bonifacii archiepiscopi et martiris.* ad Iulianum igitur pertinent folia membranarum quinquaginta quattuor, in quibus ita scriptus est liber: nam in codice membranae perverso loco positae sunt, neque in edito exemplari pristinus ordo restitutus est, f. 126* — f. 152 *ARS IULIANI TOLOTANI EPI. Partes orationis quot sunt? octo. quae? nomen pronomen uerbum aduerbium participium coniunctio praepositio interiectio. quomodo partes orationis? partes locutionis. oratio dicitur*

elocutio, id est oris ratio, quia quidquid loquimur per istas octo partes loquimur, et omne quod loquimur erit aut nomen aut pronomen aut uerbum uel quaelibet de istis octo partibus — (de interiectione) et quae sunt similia? multa, quae ad significationem partis istius pertinent: tractatus de octo partibus orationis. f. 87 — f. 94 et f. 72 — f. 76**
ITEM IULIANI EPI TOLETANI DE LITTERA. PARTES GRAMMATICAE ARTIS QUOT SUNT. prima pars est quae scribitur per metaphoram et antiphoram — (de posituris) periodi partes quattuor (l. quot) sunt? duae? quae? cola et comma, id est membra et caesa. quo modo? puta si dicam 'aspera conditio et sors irrevocabilis horae, quam generi humano tristis origo dedit', ecce una periodos, duo cola, multas caesas. nam cola dicitur membrum ipsius uersus et comma id est caesa. quibus pedibus caeditur? multis. nam et quod dicimus commicum librum, non debemus dicere commicum, sed commatum, quia de multis libris abscisae sententiae ibi sunt positae. EXPLICIT TRACTATUS PRIMUS: tractatus de littera, de syllaba, de pedibus, de tonis, de posituris. f. 77 — f. 86 et f. 95 — f. 98 DE BARBARISMO. Barbarismus est una pars orationis uitiosa in communi sermone, id est in soluta oratione in poemate aulem vel in carmine metaplasmus vocatur — (de tropis) a minore ad maius, 'potuit manes arcessere coniugis Orpheus Threicia fretus cythara fidibusque canoris', quasi dicat de re parua et breuis pretii, cythara et fidibus. et est figura, si ille cythara fretus, ego pietate. INCIPIIT COLLATIO DE PARTIONE METRORUM. Quot sunt genera metrorum principalia? octo. quae? dactylicum iambicum trochaicum anapaesticum choriambicum antispasticum ionicum a maiore et ionicum a minore — (de metro antispastico) da eius exemplum. uolans ecce gerens arma ruitque laetus: tractatus de barbarismo, de soloecismo, de ceteris vitiis, de metaplasmo, de schematibus, de tropis, de metris*).*

Julianum, cuius nomen bis in codice scriptum est, episcopum Toletanum fuisse ab anno 680 usque ad annum 690 constat: cf. N. Antonius, *biblioth. Hisp. vet.* vol. I p. 413 sqq. eodem tempore librum de arte grammatica ab eo scriptum esse docet nomen regis Ervigii,

*) Ex iis quae supra scripta sunt adparet tres esse universae artis partes, unam de octo partibus orationis, alteram de litteris syllabis pedibus accentibus posituris, tertiam de vitiis et virtutibus orationis et de metris. e quibus partibus ei quam tertiam dixi hunc locum deberi certum est; de reliquis duabus dubitari potest, utram priorem esse voluerit scriptor. sed quoniam ea pars quae est de octo partibus orationis minorem Donati artem, non maiorem, sequitur, hanc in primo loco posui, ut in Iuliano quoque idem ordo, quem reliqui Donati interpretes secuti sunt, teneretur. neque repugnat huic ordini subscriptio post tractatum de posituris addita, *explicit tractatus primus*, quandoquidem haec ad primam partem artis maioris referenda est. fieri tamen potuit ut Iulianus, cum maiorem artem de octo partibus non tractavisset, pro ea commentarium minoris artis poneret.

cuius bis facta est mentio, in tractatu de nomine, *puta si interroges me 'cuius equus?' respondeo tibi per genetivum casum domni Ervigii regis*, et de pronomine, *item quare dicitur minus quam finitum? eo quod de cognita et absente persona loquor, ut puta 'scis domnum Ervigium?' 'ipse est princeps Hispaniae'*. is enim ab anno 680 usque ad annum 687 regnum Gothorum obtinebat. in arte tractanda autem Iulianus ita secutus est Donatum, ut integra eius verba repeteret iisque suam adnotationem interponeret. et in ea quidem parte quae est de octo partibus orationis omnia praeter declinationes nominum et verborum sic ut in minore arte scripta erant repetita et subiecta adnotatione illustrata sunt. longius a Donato recedit secunda pars de litteris et reliquis artis grammaticae elementis, in qua non solum Donati verba plerumque in interrogationis et responsionis formam redacta, sed plura etiam quam in reliquis partibus aliunde addita sunt. nam post commentarium de syllabis adiectus est tractatus de finalibus syllabis, in quo commentarius Maximi Victorini qui fertur partim in compendium redactus, partim additamentis Iuliani explicatus est. in quo prorsus eandem rationem, qua in arte Donati explicanda usus est, sequitur atque etiam Donatum tanquam auctorem illius commentarii appellat. praeterea de pedibus, quamquam haec quoque pars sicut reliqua Donatum sequitur, tamen multo uberius tractatum et maxime de nominibus pedum disyllaborum et trisyllaborum copiosius expositum est. in tertia parte operis regulis Donati de vitiis et virtutibus orationis aliorum grammaticorum, in primis Isidori, de iisdem rebus praecepta et exempla ex libris sacris vel ex carminibus poetarum christianorum petita addita sunt. denique ea quae in fine libri de metris scripta sunt partim ex Maximi Victorini libro de metris, quem maxime infimae aetatis scriptores in metrica arte sequebantur, partim a Mallio Theodoro petita sunt.

Totum librum edere inutile esse visum est. pleraque enim quae Iulianus ad artem Donati attulit aut in exemplis sacrorum librorum vel recentium scriptorum ad regulas Donati exigendis versantur aut ex iis libris antiquiorum grammaticorum quos nunc etiam habemus petita sunt. praeter eos auctores autem quos supra dixi, Isidorum, Maximum Victorinum, Mallium Theodorum, in primis adhibuit Pompeium, quem bis nominavit, saepius non adposito nomine exscripsit. unum praeterea appellatum inveni grammaticum aetate, ut videtur, non multo superiorem Audacem, cuius liber ipse quoque in codicibus manu scriptis extat. sed quamquam maxima libri pars non maiorem utilitatem habet, quam alii eius generis commentarii satis multi vel eadem fere aetate vel posterioribus etiam temporibus a grammaticis congesti, pauca tamen insunt, propter quae prorsus neglegi hic scriptor non potuerit. nam primum inter paucos

antiquorum scriptorum locos, quos ille non ex ipsis quidem auctoribus, sed ex grammaticis quibus utebatur citavit, duo Varronis fragmenta posuit, quorum alterum de generibus ex libris de lingua latina minus accurate a reliquis interpretibus Donati citatum, alterum ex saturis Menippeis ab hoc uno exhibitum est. deinde in ea parte, quam uberius quam reliquas tractavit, de pedibus quaedam scripsit, quae ab aliis tradita esse non inveni, quamquam plurima ex iis potius errori grammatici tribuenda quam ex antiquo fonte repetenda esse adparet. denique ii loci in quibus priorum grammaticorum nomina adscripta sunt propter hos ipsos alicuius momenti esse visi sunt. haec igitur et praeterea pauca quaedam, quae memoria non indigna erant, ex universo opere excerpta exhibere placuit.

Finita iam prope editione et typis expressa partem libri non addito nomine auctoris scriptam esse vidi in codice Bernensi 123 saec. X f. 117 *Partes orationis quot sunt? octo* — f. 128* *da accentu tercie coniugationis correpte quia imperatiuo modo in e mutatur et facit feruescere inde agnosco quia tercia correpta est et infinitiui mo ante pe* |. sed scripturam codicis, quam in iis quae ex hac parte edidi me rogante mecum communicavit Hermannus Hagenus, tam corruptam esse intellexi, ut pauca quae inde expromenda esse viderentur invenirem, quae *B* littera significavi.

Excerptis Iuliani pauca, quae ex aliis commentariis in Donatum descripta habebam, subieci, de quibus suo loco adnotatum est. quamquam autem facile augeri horum excerptorum numerus potuit, tamen plura ex istis commentariis infima aetate scriptis exhibere parum utilitatis habere visum est. nam siquid in illis praeter vulgarem expositionem regularum Donati vel recentium scriptorum exempla ex antiquiorum grammaticorum doctrina receptum est, haec omnia fere ex iis libris qui nunc etiam extant, maxime ex commento Pompeii diligenter ab iis qui post eum in Donati arte exponenda versati sunt tractato, petita esse inveni.

EXCERPTA EX IULIANI COMMENTARIO IN DONATVM

DE NOMINE

p. 61. 62 ed. Rom.

Quare inchoavit Donatus a nomine et non a littera, cum alii a littera inchoassent? Sciens Donatus quia et ipsa littera nomen erat, ideo inchoavit a nomine et non a littera. Quo modo? Puta si assumam unum nomen, divido illud per syllabas; ultima syllaba quae remanserit, divido illam per litteras, littera quae remanserit dividi non potest et nomen est. ideo a nomine inchoavit et non a littera. — Nomen quid est? Pars orationis cum casu: Quo modo pars orationis cum casu? Pars locutionis cum casu. Quo modo? Quia quamvis defectivum sit nomen, sine casu esse non potest. habet enim aut unum aut duos aut quantoslibet de istis sex casibus. Quare dixit 'pars orationis cum casu'? Quia puer inde ambiguitatem habet, eo quod pronomini et participio casus accidunt, sicut et nomini. dicit Pompeius 'plane scire debes quia qui aliquam rem definit ita debet definire, ut et ipsam rem exprimat, et a ceteris rebus seiungat, ita ut prius dicat quod commune est, et postea quod proprium est'. et Donatus hanc regulam servans prius dixit quod commune est, et postea quod proprium est. dum dixit 'cum casu', communem rem dixit, quia pronomini et participio casus accidunt, sicut et nomini. sed ut illam ad proprietatem perduceret, dixit 'corpus aut rem', quae tantum modo nomini accidunt, non aliis rebus. unde Audax, 'definitio quid est? oratio quae id de quo quaeritur aperte describit et determinat, ut puta si quaeras a me, quid sit homo, respondebo, 'animal rationale mortale risus capax'. dum dixit 'animal', communem rem dixit, quia omne quod vivit et per se movetur super terram animal dicitur: nam arbores et cetera inanimalia moventur, sed non ex se, nisi a tactu aut impulsu cuiuslibet rei. dum dixit 'rationale', segregavit ab animalibus brutis, et hoc dixit, quod commune habet homo cum angelis, quia angeli

R editio Romana a. 1797 e codice Palatino 1746 expressa

6 per syllabas — illam om. R, add. B 11 habet] habuit R 14 Pompeius] p. 90 ed. Lind. debes] debet R 21 definitio — 23 risus capax ex Audacis de arte grammatica libro, qui est in codice Bernensi 336 et Frisingensi 234 petita sunt 24 rationale] rationabile R 26 moventur B movebuntur R nisi adactu B

rationis capaces sunt, sicut et homines. dum dixit 'mortale', segregavit ab angelis, et hoc dixit, quod commune habet homo cum animalibus brutis, quia animalia bruta moriuntur, sicut et homines. dum dixit 'risus capax', segregavit ab angelis et ab animalibus brutis, et hoc dixit, quod tantum modo homini accidit, non aliis rebus, quia solus homo ridet, non alia res.

p. 65 R.

Da nomen quod qualitatem significet et comparetur. Sanctus sanctior sanctissimus. Da quod quantitatem significet et comparetur. Grandis grandior grandissimus. Da quod qualitatem et quantitatem significet et non comparetur. Perfectus. Quare non comparatur? Ille dicitur perfectus, qui nihil de suo artificio indiget. iam si dixerō perfectior, mentivi de illo priore, quia adhuc minus habet de artificio suo. Quo modo significat qualitatem et quantitatem? Vt puta si dicas mihi 'quid scit Audax?', dico 'grammaticus est'. dicis mihi 'quo modo illud scit?' dico 'perfectus est'. ecce qualitas. item interrogat me dicens 'scis tu illum?' 'scio'. dicit mihi 'quam magnus est aetate?' dico 'perfectus homo est'. ecce quantitas.

p. 66. 67 R.

Genera quare dicta? A gignendo, eo quod de masculino et feminino oriuntur ista alia genera. Si genera a gignendo dicta, neutrum et commune, quod nec gignit nec gignitur, cur dictum est genus? Quantum ad rationem pertinet, illa debent dici genera, quae et gignant et gignantur; ista vero, quae nec gignant nec gignantur, usurpative dicta sunt genera, non proprie. Quae sunt genera principalia? Masculinum et femininum. Quare dicta principalia? Quia ex ipsis oriuntur ista alia genera et ipsa sola sunt. Quare dicta principalia vel sola genera? Principalia dicta, quia neutrum et commune ex ipsis oriuntur; sola, quia ipsa tantum gignant et gignantur. Tota genera naturalia sunt, an sunt ex arte descendencia? Sunt naturalia, sunt ex arte descendencia. Quae sunt naturalia? Cuius personam considerare possumus, ut aut masculinum sit aut femininum. Quae sunt ex arte descendencia? Cuius naturam considerare non possumus, ut est petra terra lignum et cetera. Quid ibidem faciendum est? Auctoritas maiorum quaerenda est. Et ubi auctoritas maiorum genus tibi non demonstraverit, quid ibi faciendum est? Scripsit Varro ad Ciceronem 'potestatis nostrae est illis rebus dare genera, quae a natura genus non habent'. Vbi discernis ista genera? In articulis. Quo modo? Quando dico hic, pro masculino dico; quando dico haec, pro feminino dico; quando dico hoc, pro neutro dico; quando dico hic et

14 dicis] dicit R 21 usurpativa RB proprie B propria R 32 Varronis doctrinam de generibus nominum, quam ex Plinii libris dubii sermonis acceperunt interpretes Donati (cf. Pompei. p. 154 ed. Lind.), minus accurate retulerunt Pompeius p. 143 ed. Lind. Servius in Don. p. 407, 39. 492, 37 Priscianus l. V p. 141, 4 Consentius p. 2023 Isidorus orig. l. 6, 33. in undecimo libro de l. l. Varronis fragmenta ea de re posuit Wilmamsius de Varr. lib. gramm. p. 32 et 151 34 a] ex B

haec, pro communi dico; quando dico hic et haec et hoc, pro omni genere dico.

* * *

DE PRONOMINE

p. 72. 73 R.

Quid est pronomen? Pars orationis quae pro nomine posita tantundem paene significat personamque interdum recipit. Quo modo 'pars orationis'? Pars locutionis. quo modo 'quae pro nomine posita'? Quae vice nominis posita. Quo modo 'tantundem paene significat'? Quia ipsum paene significat, quod et nomen, sed non plene. Quo modo? Vt puta si dicat mihi quilibet 'quis scripsit bucolica?', dico Virgilius. georgica
 10 quis? Virgilius. Aeneida? Virgilius. ecce saepe repetita locutio proprii nominis fastidium generat. sed ut fastidium auferatur et ornatus locutionis inducatur, ablato nomine ponimus pronomen, quod paene ipsum significat, quod et nomen. ut puta 'quis scripsit bucolica?' ipse. Aeneida? idem.
 15 nomen, positum pronomen, res quae factae sunt ostendo: nam quis eas fecit non ostendo. sicut si dicas mihi 'quis scripsit etymologias?' dico 'Isidorus'. ecce dictum nomen Isidori, et res quae factae sunt et quis fecisset ostendo; item dicis mihi 'synonyma quis?' dico 'ipse'; ecce tantum nomen Isidori, positum pronomen ipse, res quae factae sunt ostendo:
 20 nam qui eas fecisset, non ostendo.

* * *

p. 74 R.

In quibus qualitatibus dividuntur pronomina? Donatus definivit in duas, id est in finitum et in infinitum; Probus in quattuor, finitum infinitum articulare et possessivum; Pompeius in viginti unam, id est finita tria, ego tu ille, minus quam finita sex, ipse iste hic is idem et sui, infinita
 25 septem, quis, qualis talis quantus quotus et totus; possessiva quinque, meus tuus suus noster vester.

* * *

p. 80 R.

Quisquis: quis pronomen, quis similiter; ex duobus pronominibus unum est pronomen compositum. Quisnam: quis pronomen est, nam coniunctio est; et est compositum pronomen ex duobus integris. Quisnam masculini generis est
 30 aut feminini? Apud veteres commune genus habebatur. Da eius exemplum.

Quisnam es tu mulier, quae tam inconsueto nuncupas nomine.

Quispiam: quis pronomen est, piam corruptum est; et est ex integro et corrupto unum pronomen compositum. Cuius generis est? Communis,
 35 quispiam vir, quispiam mulier, aliquid et cetera.

* * *

14 fecisset] fuisset R tultum] ablatum utroque loco correxit editor Romanus
 17 esidorus RB esidori RB 19 esidori RB 23 Pompeius] p. 235. 239 ed. Lind.
 29 ex duobus integris] ex integro et corrupto RB quisnam B quis R
 31 quisnam] Pacuv. Med. fragm. 20 ed. Ribb. quem etiam inconsuetu B
 34 piam — corrupto] nam coniunctio est et est ex duobus integris RB

p. 109 R.

Item interiectioni quot accidunt? Tantum significatio. Significatio interiectionis in quo est? Quia aut laetitiam significamus, ut evax, quod est interiectio gaudentis; aut dolorem, ut heu, id est interiectio lugentis; aut admirationem, ut papae, sicut quidam scribit 'papae, vivere non licet, et fornicari libet?'; aut metum, sicut atat, sicut solitum est 5 parvulo dici totto, quando prohibetur comedere terram. — Et siqua sunt similia: et quae sunt similia? Multa, quae ad significationem partis istius pertinent.

p. 5 R.

DE LITTERA

Partes grammaticae artis quot sunt? Prima pars est quae scribitur 10 per metaphoram et antiphoram, id est per interrogationem et responsionem, quae data est parvulis, quo modo debeant intellegere et respondere, nihil habens difficultatis. secunda est uberior et utilis, quae data est maioribus et minoribus, modicum habens difficultatis, quo modo interrogare et respondere possint, et incipit a littera. 15

* * *

p. 14. 15 R.

DE FINALIBVS SYLLABIS

Quando nominativus singularis in terminatur, longus est an brevis? Brevis est; dicit tamen Donatus 'arduum est huius rei exempla reperire, eo quod haec littera saepe inter vocales posita deficit'. quo modo? Quia 20 difficile est ut exemplum certum inveniatur, exinde utrum longus sit nominativus an brevis [quare in inter vocales posita deficit?], incertum est.

An finitus nominativus singularis qualis est? Longus, ut Titan. Qualis sermo est Titan? Graecus. Quid sonat in latino? Sol est apud Latinos. dicit Donatus 'latinum vero in hac syllaba non potest nomen inveniri'. 25

Quando en terminatur, longus est an brevis? In neutris generibus brevis est, ut carmen; in aliis autem generibus apud Latinos longus est, apud Graecos brevis est, ut pecten flamen lien pollen, quia pecten pectinem dicitur, flamen flaminem, lien lienem, pollen pollinem.

Quando on terminatur, longus est an brevis? Semper longus est, ut 30 Memnon.

Quando nominativus singularis terminatur ar, longus est an brevis? In monosyllabis longus est, ut nar far. Quid nar? Id est naris, far pro farina. In polysyllabis qualis est? Donatus dicit 'licet in his longus sit, quae a in genetivo ante ultimam producant, tamen auctoritate corripitur'. 35 Quo modo? Quamvis dicas, in genetivo casu paenultimo loco habet accentum, qui est ultimus in nominativo, ut sit ipse nominativus longus, tamen

4 papae] Hieronym. epist. ad Rusticum monachum ep. 125, 13 vol. I 1 p. 941 ed. Vallars. 19 arduum] Max. Victor. de final. p. 459 ed. Vindob. 25 latinum] cf. Max. Victor. l. c. 28 pecten pectine dicitur flamen flamine lien liene pollen pro polline R. accusativum adscripsisse videtur grammaticus ad genus nominum probandum: cf. Charis. p. 87, 15 34 licet] ut R: cf. Max. Victor. l. c.

Iuvenalis hoc breve posuit. Da eius exemplum. Iuvenalis 'thyrsusque tenent et subligar Acci'.

* * *

DE PEDIBVS

p. 19. 20 R.

Pes quid est? Syllabarum et temporum certa dinumeratio. Quo modo?

5 Quia unus quisque pes certum numerum syllabarum et temporum habet. Quo modo? Vt puta si dicam spondeus, et certas syllabas habet duas longas et certa quattuor tempora; sic unus quisque pes. Pes quare dictus? Quia quem ad modum nos iter pedibus gradimur, ita et metra per pedes gradi videntur. ideo pes ipse dictus, eo quod ipsis nitamur et
10 ipsis incedamus per metra.

Quae accidunt uni cuique pedi? Arsis et thesis, numerus syllabarum, tempus, resolutio, figura, metrum. Quid est arsis? Elevatio, id est inchoatio partis. Quid est thesis? Positio, id est finis partis. Quo modo? Puta si dicam prudens, illud pru elevatio est, illud dens positio. In tri-
15 syllabis et tetrasyllabis pedibus quot syllabas sibi vindicat arsis et quot thesis? In trisyllabis, si in prima habuerit accentum, ut puta dominus, duas syllabas vindicat arsis et unam thesis. nam si paenultimo loco habuerit accentum, ut puta beatus, arsis vindicat unam syllabam et thesis duas. sic et tempora secundum quantitatem syllabarum sibi vindicabunt.
20 Quo modo numerus syllabarum? Si ex duabus tribus aut quattuor syllabis constat ipse pes. Quo modo tempus? Quot tempora habeat unus quisque pes: si pyrrichius fuerit, duo tempora habet; si spondeus quattuor; sic et unus quisque pes. Quo modo resolutio? Si accidit uni cuique pedi resolutio, si non. Quo modo? Puta si dicam 'Saulus Paulus
25 Christi cum facta negaret', in his sermonibus trochaeus pes est: si resolvo priorem syllabam, fit inde antibacchius. huius exemplum, 'Saulus Paulus Christi cum facta negaret'. iam hic de solidis scissio fit. Sicut solida scinduntur, possunt solidari scissa, an non? Dicit Terentianus 'solida scindi possunt, scissa solidari non possunt'. sed invenimus, ubi et
30 scissa solidentur. Da eius exemplum.

Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri.

nam in isto versu et scissa solidantur et solida scinduntur. Quo modo? Tenuia et scinditur et solidatur, quia te una syllaba est, nu altera, i
tertia, a quarta: nu secunda syllaba scinditur, et ipsius syllabae prima
35 littera n priori syllabae solidatur; secunda vero littera u solidatur tertiae syllabae; et quarta syllaba scinditur de loci sui ordine et solidatur alterius parti et facit tenuia, ut sit pes dactylus: et ecce scissio et solidatio. Quo modo figura? Qua figura unus quisque pes notetur. si pyrrichius pes fuerit, ex duabus brevibus constat, per duo ~ notandus est ~ ~; et

1 Iuvenalis] *sat.* 6, 70 28 Terentianus] *v.* 2226: *cf. Pompei. p.* 57 *ed. Lind.*
31 tenuia] *Verg. georg.* 1 397
GRAMMATICI LATINI V.

p. 20. 21 R.

sic similiter. Metrum quo modo? Quale metrum efficiat unus quisque pes, si dactylus, dactylicum; si iambus, iambicum; sic et ceteri.

Pedes dissyllabi quot sunt? Quattuor. Qui sunt? Pyrrhichius spondeus iambus et trochaeus. Trisyllabi quot sunt? Octo, id est tribrachus molossus anapaestus dactylus amphibrachus amphimacrus bacchius et anti-⁵ bacchius. Tetrasyllabi quot sunt? Sedecim. Qui? proceleumaticus spondeus diiambus ditrochaeus antispastus choriambus ionicus a maiore et ionicus a minore, quattuor paeones et quattuor epitriti. Qui sunt pedes simplices? Dissyllabi et trisyllabi. Qui sunt pedes duplices? Tetrasyllabi.

Pyrrhichius pes ex quibus syllabis constat? Ex duabus brevibus, ut¹⁰ pater. Quot tempora habet? Duo. Quot tempora vindicat sibi arsis et quot thesis? Arsis unum, thesis unum. Cuius divisionis est? Aequae. Quo modo? Quia unum tempus habet arsis et unum thesis. Vnde habet etymologiam? A Pyrrho, filio Achillis, eo quod ad funus patris armatus eodem metro luserit; sive quia interempto Euripide eodem metro saltavit¹⁵ armatus, mentis gaudia corporis exultatione confirmans. unde et pyrrhichia inventa saltatio dicitur apud Graecos, et pes ipse pyrrhichius nomen accepit ab actu et cantione Pyrrhi. Quis est illi contrarius? Spondeus. Quo modo? Quia quo modo ille ex duabus brevibus constat, iste ex duabus longis. Quot tempora habet? Quattuor. Cuius divisionis est? Aequae.²⁰ Quo modo? Quia tanta tempora habet arsis, quanta et thesis. Spondeus unde dictus? Ἀπὸ τῆς σπονδῆς, id est tractu, quod pes ipse tractum sonet. σπονδῆ enim graece tractus vocatur; unde et ii qui tibiis canunt in sacris spondiales vocantur. Iambus ex quibus syllabis constat? Ex brevi et longa, Quot tempora habet? Tria. Quot tempora vindicat sibi²⁵ arsis et quot thesis? Arsis unum, thesis duo. Cuius divisionis est? Duplae. Quo modo? Quia pars partem duplo vincit. Vnde habet etymologiam? Ἀπὸ τοῦ ἰαμβιάζειν, id est a maledicto, non quod hoc carmen sit maledicum, sed quod maledica eodem sunt metro composita. non nulli ferunt ab Iamba muliere, quam dicunt in maledicto exercitatum isto³⁰ pede usam. unde et iocos maledicos apud Graecos iambos vocant. Qui pes est isti contrarius? Trochaeus. Ex quibus syllabis constat? Ex duabus, id est longa et brevi. Quot tempora habet? Tria, arsis vindicat duo, thesis unum. Vnde habet etymologiam. Eo quod e longa in brevem descendens rotatile carmen efficiat. τροχός enim graece rota dicitur.³⁵

Quales pedes trisyllabi? Qui sequuntur. Tribrachus ex quibus syllabis constat? ex tribus brevibus, ut dominus. Quot tempora habet? Tria, arsis vindicat duo, thesis unum. Cuius divisionis est? Duplae. Quo modo?

4 tribracchus] tribracchius R 15 sive quia] ad inventa Cinesiae, quae commemoravit Diomedes p. 475, 22 haec pertinere videntur 21 quanta] quomodo R
22 dictus apo tu sponda R 23 σπονδῆ] sponda R 28 apo tu iambiazin R
29 maledicum] maledictum R 30 ferunt ad iambatasssem mulierem quam R 35 τροχός] trochos R

- Quia pars partem duplo vincit. Vnde habet etymologiam? Tribrachus, qui et choreus, appellatur tribrachus, quasi ex tribus brevibus: *βραχύ* enim graece breve dicitur. Qui pes est ei contrarius? Molossus. Quibus syllabis constat? Ex tribus longis, ut Aeneas. Quot tempora habet? Sex.
- 5 Cuius divisionis est? Duplae. Quo modo? Quia arsis habet duo tempora et thesis quattuor. Vnde habet etymologiam? A Molossorum saltatione, quam exercuerunt armati. ipsi vero dicti Molossi a Molosso, filio Neoptolemi et Andromaches. Qui pes sequitur? Anapaestus. Ex quibus syllabis constat? Ex duabus brevibus et longa, ut bonitas. Quot tempora habet?
- 10 Quattuor. Cuius divisionis est? Aequae, quia arsis duo tempora habet et thesis duo. * Vnde habet etymologiam? *Ἀπὸ τῶν ἰδίων δακτύλων*, eo quod vagitum Iovis huius cantu mater eius Saturno patri celaverit, et omnis musica propriis digitis percussa fuisset, ideo pes ipse dactylus dicitur, quia Graeci digitum dactylum appellant. dactylus a digito dictus,
- 15 quod a longiori nodo inchoans in duas desinit breves; sic et ipse pes iuncturam unam habet longam et duas breves. unde et manus oppansa palma dicitur, et pendentes digiti dactyli. hic etiam herous appellatur, eo quod heroum res et facta isto metro narrentur. Amphibrachus pes ex quibus syllabis constat? Ex tribus, id est ex brevi longa et brevi, ut
- 20 bonellus. Quot tempora habet? Quattuor. Cuius divisionis est? Nullius, quia Donato informis et inconditus indicatur. Vnde habet etymologiam? Eo quod ex utraque parte brevem habeat syllabam una longa in medio consistente. Amphimacrus ex quibus syllabis constat? Ex longa brevi et longa, ut optime. Quot tempora habet? Quinque. Cuius divisionis est?
- 25 Sescuplae. Quo modo? Quia arsis habet tria tempora, thesis duo. Sescupla qualis est sermo? Graecus. Quid sonat in latino? *Vnum et dimidium*. Quo modo? Quia duplo unum superhabet, ab aequo unum minus habet. Vnde habet etymologiam? Eo quod hinc inde longam habet syllabam una brevi in medio interiacente. Bacchius pes ex quibus syllabis constat? Ex
- 30 brevi et duabus longis, ut beati. Quot tempora habet? Quinque. Cuius divisionis est? Sescuplae; arsis habet duo tempora et thesis tria. Vnde habet etymologiam? Bacchius, qui et palimbacchius dictus, eo quod bacchicis maxime conveniat cantibus, vel quia ipso pede Bacchia, id est Liberi sacra, celebrantur. Quis est isti contrarius? Antibacchius. Ex
- 35 quibus syllabis constat? Ex duabus longis et brevi, ut barbatus. Quot tempora habet? Quinque. Cuius divisionis est? Sescuplae. Vnde habet etymologiam? Eo quod contrarius sit bacchio: *ἀντί* enim graece contra dicitur.

* * *

DE BARBARISMO

Item barbarismus, qui bipartito modo fit, id est scripto et pronun-

2 *βραχύ*] braxim R 11 apo tu nignidion dactylon R 15 duas R 17 hic]
hinc R 21 Donato] p. 370, 31 26 unum et om. R 37 anti enim R
21*

tiatione, quattuor species habet, per quas barbarismus efficitur, id est adiectione detractio immutatione et transmutatione: adiectio litterae syllabae temporis toni aspirationis, detractio litterae syllabae temporis toni aspirationis. adiectio litterae, sicut 'reliquias Danaum', cum reliquias per unum l dicere debeamus, et audiveram pro audieram, et 5 legites pro legite. per adiectionem syllabae, ut 'nos abiisse rati' pro abiisse. per adiectionem temporis, ut 'Italiam fato profugus', cum Italia correpta prima littera dicere debeamus. item per detractio- 10 nem litterae, sicut infatibus pro infantibus, et nutriram pro nutrieram; syllabae, ut salmentum pro salsamento vel paumentum pro pavimento; per detrac- 15 tionem temporis, ut 'unius ob noxam' pro unius: ni enim syllaba naturaliter longa est et loco brevis est posita. item immutatione litterae, sicut olli pro illi; syllabae, ut permicies pro pernicies; per immutationem temporis, ut 'fervere Leucaten', cum fervere, si secundae coniuga- 20 tionis est, producte dici debeat: ve enim syllaba longa est et loco brevis 25 est posita. Leucaten vero montem dicit Apuliae, ubi bellum gessit Augustus cum Antonio et Cleopatra. item per transmutationem litterae, sicut Euandre pro Euander vel intrepella pro interpella; per transmutationem syllabae, sicut displicina pro disciplina; temporis, ut siquis deos producta 30 priore syllaba et correpta posteriore pronuntiet.

* * *

p. 39 R.

DE TROPIS

Metalepsis est dictio gradatim pergens ad id quod ostendit, ut 'speluncis abdidit atris' et

post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

per aristas annos ex fructibus computat: nam per aristas grana, per grana 25 anni significati sunt, pro eo quod singulis annis a terra colliguntur. dicta autem metalepsis ab eo quod praecedit id quod sequitur, ut 'scelus expendisse merentem': scelus enim posuit pro poena. item Persius

inque manus chartae nodosaeque venit arundo:

nam per manum verba, per arundinem litterae significatae sunt. item 30 Varro 'ponam bisulcam et crebrinodosam arundinem'.

4 reliquias] *Verg. Aen.* I 30 6 nos] *Verg. Aen.* II 25 7 Italiam] *Verg. Aen.* I 2 11 unius] *Verg. Aen.* I 40 14 fervere] *Verg. Aen.* VIII 677 22 speluncis] *Verg. Aen.* I 60 24 post] *Verg. bucol.* I, 70 26 singulos annos *R* 27 scelus] *Verg. Aen.* II 229 28 item Persius inque editor Romanus item pros usque *codex: Pers. sat.* 3, 11 31 *Varronis verba saturis tribuit Alexander Riese mus. Rhen. noviss. v. XXI (a. 1866) p. 112, choliambo versu ita restituto, ponam bisul-* cam et ipse crebrinódósam Arundinem

Ex codice Leidensi 122

Artium Donati liber ita a plerisque vitiatus est et corruptus, dum unus quisque pro libitu suo sive ex aliis auctoribus quod ei visum est addidit, sive declinationes aut coniugationes et cetera huius modi inseruit, ut nisi in antiquis codicibus vix purus et integer, ut ab eo est editus, reperiatur. quod ne nos quoque fecisse videamur, qua ex causa praesens digesserimus opusculum, breviter in eius liminari paginola exponendum esse censuimus. noverunt omnes qui artis huius ampliorem quam nos scientiam assecuti sunt quod priorem artem praedictus artigrafus ob instructionem puerorum sub interrogationis et responsionis specie descripserit, prout scilicet ingeniis et studiis sui temporis sufficere iudicavit. verum quia nos nostrique similes adeo obtusi sumus et hebetes, ut plerumque quod regulariter vel interrogare vel respondere possimus ignoremus, libellum hunc iuxta parvitatem sensus nostri collegimus acutioribus quidem et capacioribus minime necessarium, simplicioribus vero et minus promptis, quantum existimamus, utilem. in quo et ordinem praefati artigrafi tam in interrogando quam in respondendo tenuimus, et probationes quasdam parvulis et incipientibus necessarias ex latere copulavimus, et cetera quae huius modi instructio expetere videbatur, quatinus parvuli bonae indolis ad istius artis se studium conferentes ea de quibus interrogaturi essent et responsuri ipsi sibi aliquatenus probare et probando facilius invenire possent, et hoc quasi ludo exercitati et exercitio excitati ad maiora et pleniora capienda fierent promptiores.

Ex codice Lavantino 24

25 Sed Valerius ait consuetudinem antiquitatis etiam fuisse, ut paene

1 *Codex Leidensis bibl. publ. 122 saec. X: cf. praef. gramm. v. IV p. XXXI. f. 98* Artium Donati liber — fierent promptiores. | CUNABULA GRAMMATICAE ARTIS | Partes orationis quot sunt? octo. quae? nomen pronomen verbum adverbium participium coniunctio praepositio interiectio. Donatus quae pars orationis est? nomen, nomen quid est — f. 107 sunt et aliae plurimae interiectionum significationes quae tamen ex his quattuor veluti quibusdam perturbationum fontibus dimanare noscuntur. *commentarius in Donati artem minorem*

24 *Codex Lavantinus 24 (L) saec. IX: cf. praef. gramm. v. IV p. XLIX f. 21** In nomine sanctae trinitatis incipit expositio latinitatis | tertia incipit expositio in donato (?) | Domine Iesu christe, qui nos octo tuas discipulis cum tuis beatitudines docere dignatus es, orationis partium totidem Donati grammatici mihi scientiam ad tuae ornamentum sapientiae et proximi profectum volenti expositiunculae meae stillulam infundere gratiae tuae per spiritum scire (l. sanctum) prestes — f. 42 nolitis quesso post quorundam eloquentiae eximia et scientiae flumina meam stillulam in Donati artes deciduam habere contemptui. quicumque enim lectioni deditus haec eadem eodemque possui sensui intellexerint (l. eodem quo posui sensu intellexerit), quaerendi alia ad Donati editionem explanandam grammatici secundum securus esset (? l. erit). nisi forte sunt quidam indigentes corde, qui prius finem vitae inveniunt quam quaestionum. quorum unus ait, pro dolor quando incipi (l. incipio) scire tunc incipio mori. finit. Prius fragmentum e praefatione commentarii de latinitate petatum e codice descripsit Martinus Hertzius; alterum editum est anal. gramm. Vindob. p. 514 25 Valerius]

alios sermones tunc dicat fuisse aliosque nunc. sed per fisicam similitudinem attulit dicens, 'postera' inquit 'aetas mundi ut disciplinam pristini saeculi ita et sermones fastidire coepit et nova parturire verba, quae iuvenum ritu ipsa modo florent et vigent'. qui etiam Horatium dixisse ait 'ut silvae flores pronos mutantur in annos et prima cadunt, ita verborum 5 vetus interit aetas, et nova iuvenum ritu florent modo nata vigentque' et rel.

* * *

De editione secunda. incipit editio secunda Donati grammatici de partibus orationis. scripsit enim artem duplicem, id est octo partes, quas minores vocant artes, a quibus secunda haec est editio. sed notandum est, quibus personis primam, quibusque scripsit secundam, et interrogan- 10 dum, quot et quibus causis artes minores scripsit. hoc est personis puerorum et causis tribus. prima, ut scirent, quibus modis esset ars; secunda, ut discerent interrogare, ut est 'partes orationis quot sunt?'; tertia causa, uti nossent solvere interrogata, ut est 'octo' et rel. in prima ad docendos pueros interrogationi satisfacit et solutioni; in secunda 15 autem editione personas perfectas docet scientiam latinitatis. sed nos nunc dicere convenit, quibus modis sit interrogatio, id est tribus, quasi discere volens vel docere an quaestionis promendae gratia. sed in artibus minoribus quasi docere volens interrogat Donatus, cuius auctoritatem ostendit Pompeius dicendo 'alii' inquit 'scripserunt artem, sed illos non putes in- 20 tellegere, nisi a Donato sumpserint principium, ut est Probus et Caesar et alii, sed a Donato sumpserunt principium. de partibus artis satis in prologo promisi.

Ex codice Parisino 7570

Multi dixerunt quod lact dici deberet, ut apud Varronem, ea ratione 25 quia, si lac esset nominativus, lacis esset genetivus, ut alec alecis. sed Caesar dixit rem valentissimam contra ipsum, id est nullum nomen duabus mutis terminari posse. c et t duae mutae sunt. Plautus namque lacte tulit si melius ait. Virgilius dicit, lac dicendum est. alec autem genus 30 est piscis.

cf. praef. gramm. v. I p. LIV. v. IV p. XXIV not. Diom. p. 400, 8 1 per fissicam L 3 fastidiare L 4 et figent L Horatium] de a. p. 60 6 vetus . . rat' aetas L florent motat augmentq: et ri' L 20 Pompeii locum ex praefatione in libris manu scriptis mutilata petitum videri dixi supra p. 86 not. 21 caesar L

24 Codex Parisinus 7570 (P) saec. XI f. 1 Quae partes orationis etiam partes latinitatis dicuntur, cum latinitas per ipsas partes narretur? ideo quia a Latino rege oratoribusque ornata atque directa est etc.: commentarius in Donatum de octo partibus orationis maximam partem e Pompeii Prisciani Consentii libris collectus 25 deberetur P apud Varronem] Pompei. p. 199, 13 26 lacis esse genet. P 28 fortasse Plautus namque lacte protulit, sed melius, ut Virgilius dicit, lac, nisi potius pro exemplo Plautino a Pompeio posito illud quod Priscianus l. VI p. 212, 6 adscripsit, Me-naechm. V 9, 30 neque aqua aquae neque lacte lactis, mihi crede, usquam similis scriptum erat

Ex codice Monacensi Emm. G. 121

Barbarismus est una pars orationis vitiosa in communi sermone, in poemate metaplasmus: attendendum quod Donatus strenuissime peritissimeque suam edidit artem. primum enim componens minorem ad instruendos pueros eam in exordio sui voluminis imposuit. secundam vero editionem a littera ceterisque particulis ad superficiem pertinentibus inchoavit, et postea octo partes; his autem positis ad complendam secundam editionem barbarismum et cetera vitia posuit, et sicut primitus partes, id est vocem litteram syllabam ceterasque, quae ad superficiem pertinent, posuerat, ita de vitiis disputans barbarismum in capite ponere studuit, qui corrumpit superficiem, in secundo loco soloecismum, quod vitium corrumpit sensum contextumque partium. exin posuit schemata et tropos, qui ornatum tribuunt praecedentibus partibus.

* * *

Quaerendum est, quo modo Donatus dicat barbarismum esse, si quis dicat salmentum pro salsamentum, cum Caper antiquissimus doctor dicat 'salmenta ne timeas proferre, quia latinum est'. ad quod dicendum quia et salmentum et salsamentum dici potest. salmentum autem est purgamentum maris, salsamentum vero salsugo dicitur, in qua liquescit sal, ut carnes condiantur. si quis igitur sciens, quid sit salsamentum et quid salmentum, dixerit salmentum pro eo quod est salsamentum, per de-
 tractionem syllabae barbarismum facit.

* * *

Per immutationem syllabae, ut pernities pro perniciēs: non, ut plerique putant, ni mutatur in mi, sed potius ti in locum ci. quaerendum est autem, quare dixerit Donatus immutationem esse syllabae in hoc nomine, cum non tota syllaba, sed una tantum modo littera, id est t in locum c mutetur. nam post c vel post t semper i scribitur. ad quod respondendum immutationem esse syllabae veraciter, quia immutatur t cum suo i in locum c et i. alterum namque sonum habet i post t et alterum post c. nam post c habet pinguem sonum, post t gracilem. perniciēs autem semper c habere debet.

Ex codice Vossiano 37

Soloecismus quid est? oratio latinis quidem verbis, verum vitiosa

1 *Codex Monacensis Emm. G. 121 (M) saec. X f. 92* INCIPIT DE VOCE. Vox est aer ictus sensibilis auditu, quantum in ipso est, haec definitio hoc modo iungitur, est vox aer ictus, hoc est aer percussus. sed quaeritur a quo percutitur — f. 140* (de tropis) ita et Aeneas facturus foret, si ei daretur a Latino Lavinia coniunx. *commentarius in artem maiorem Donati* 12 schemata tropos M 15 pro salamentum M Caper] p. 2244 17 salsamentum] salamentum M 20 salmentum et dixerit M 22 perniciēs] pernities M 30 pernities autem M

31 *Codex Leidensis Voss. 37. 8 (V) saec. X: cf. praef. gramm. v. 1 p. XXIII f. 67** DE SOLOECISMO. Soloecismus quid est — f. 68 immutatione, adiectione quatinus

compositione prolata. unde dictus est soloecismus? a civibus, qui ex urbe Soloe, quae nunc Pompeiopolis dicitur, Atheniensibus auxilio profecti, cum apud eos commorantes suam et illorum linguam inconsequenter vitioseque confunderent, soloecismo nomen dederunt, ab urbe, ut diximus, Soloe et ἀπὸ τοῦ οἰκεῖν, quia ibi inhabitaverant. alii volunt soloecismum dictum a Solone, duce Atheniensium, quem peregrinando Atticam linguam dixerunt corripisse. quod quidem de tantae industriae viro credi nefas est. soloecismum latine nostri dixerunt, ut ait Aurelius Opilius, strubiginem, cuius nominis etymologiam nondum invenio. soloecismus quot modis fit? quattuor, adiectione detractio transmutatione immutatione. 10

Ex codice Sangermanensi 291

Synecdoche graece dicitur quasi continua susceptio, ut Porphirius interpretatur, quod dicto nomine totius conexa pars intellegitur, aut dicto nomine partis totum consequenter cognoscitur.

Isteroproteron quasi isteron proteron, hoc est in extremo primum. unde Castor graece quasi cacon isteron, id est malum extremum, nuncupatur, ut Fabius ostendit. aliter, ut in Porphirio legimus, isteron graece post latine sonat. ergo isterologia appellatur, hoc est post dictio vel sermo, subaudis positus. item isteroproteron post ante. nam proteron ante significat. lege Porphirium. 20

cum quolibet pars orationis. DE TROPIS. Tropus quid est etc. commentarii de tropis et metaplasms qui sequuntur ex Charisio maximam partem excerpti in huius editione olim adhibiti sunt 1 soloecismus quae ex urbe P: cf. Isidor. orig. l. 32 Diom. p. 453, 20

2 profecit V 5 solo εὐαντογοικεῖν quae ibi V 6 asalone V quem] qui V 7 corripisse quae quidē V 8 latina V aurelius opill's rubiginem V

11 Codex Parisinus olim Sangermanensis 291 (P) continet Isychii presbyteri Hierosolymitani libros in Leviticum; adiecta sunt tria membranarum folia, in quibus commentarius in Donatum de barbarismo, de soloecismo, de tropis, de schematibus scriptus est saeculo decimo. eius maxima pars ex Isidoro et Diomede excerpta est 12 forfirius P 13 conexa P 15 quasi eis, steron, proteron P 16 castor gr quasi caconsteron P 17 in forphirio P